



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

Toledo, Francisco de

Coloniæ Agrippinæ

15. Qualis debeat esse suscepturus Eucharistiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

Qualis debeat esse suscepturus Eucharistiam.

CAPVT XV.

Multa debet habere ille, qui competenter ad Eucharistiam susceptionem accedere debet.

Primo, debet esse baptizatus: nulli enim ante baptismum, etiam habenti fidem, & gratiam, qualis est catechumenus, ministranda est Eucharistia, nisi post baptismum; imò nec debet ullus non baptizatus permitti videre sacramentum hoc, sed eiciendus est, ut habet S. Thomas, 3. p. quæst. 79. art. 1. Potest autem ista conditio, cum alijs sequentibus, memoriae causa, reduci ad duo carmina hæc.

Lotus, discretus, sanus, ieiunus, & aptus.
Contritus, fassus, mundus, recteque paratus.

Lotus, id est baptizatus debet esse, iam de hoc diximus.

Discretus. Debet habere iudicium rationis: unde pueris ante annos discretionis non debet dari Eucharistia. Rursus, non quælibet discretio, & ratio sufficit, sed quæ sit mediocriter apta ad cognoscendum cibi huius qualitatem. Tamen secundum Alexan. 4. p. quæst. 49. membr. 5. Palud. dist. 9. q. 4. Sylu. ver. Eucharist. 3. §. non debet dari, nisi pueris iam 10. aut 12. annum agentibus; nisi in aliquo citius vigeat multum ratio, quod Confessariorum iudicio relinquatur: quamuis non requiratur tantus usus rationis ad confessionem: sufficit enim annum septimum superasse, in quo frequenter tempore usus rationis lucescere incipit, & homo peccare potest. Rursus, neque amentibus, sicut neque pueris danda est Eucharistia, si amentes sunt à natiuitate, ut habet S. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 9. Quòd si non sunt à natiuitate, sed aliquando habuerunt iudicium rationis, si, dum ipsum habebant, petierunt sacramentum hoc, aut pœnitentes fuerunt, danda est eis Eucharistia in mortis articulo, ut ibidem dicit S. Thom. & idem habetur 16. q. 6. c. si quis. Tamen phreneticis in mortis articulo ministranda est Eucharistia, si ante phrenesin confessi sunt, aut contriti apparuerunt, aut petierunt eam, nisi sint furiosi, ita ut timeatur irreuerentia aliqua sacramento inferenda.

Sanus: etiam debet esse sanus, qui suscepturus est Eucharistiam, non tamen quæcumque infirmitas prohibet susceptionem

nem Eucharistiæ illa, ex qua irreuerentia sacramenti timetur; vt, cum infirmus patitur frequentes vomitus, aut tussim, vt probabiliter timeatur expulsio Eucharistiæ; tunc enim nõ est ipsi ministranda.

Ieiunus. Debet etiam esse ieiunus, qui sumpturus est Eucharistiã, non solum à cibo, sed à potu, & medicina, vt fit ieiunium naturæ: qui enim aliquid horum sumpsit, nisi sit infirmus, ita vt timeatur mors, nõ debet suscipere Eucharistiã. Nec soluitur hoc ieiunium per hoc, quod aliquando, dum aliquis lauat os, aliquid parum humoris decidit per guttur, aut cum micæ, vel particulæ cibi, qua manent inter dentes eccena antecedenti, deglutiuntur: hæc enim per modum salutarum sumuntur, nec soluunt tale ieiunium, vt dicit Sanctus Thomas loco citato. artic. 8. Hoc autem ieiunium incipit à media nocte diei antecedentis: vnde, si quis post mediam noctem aliquid sumpsit, quamuis dormierit postea, non potest communicare illa die: si tamen ante mediam noctem sumpsit, potest communicare, licet tota nocte non dormierit, nec cibum sit digestus, vt ibidem docet Sanctus Thomas. Infirmis per modum viatici confertur, etiam non ieiunis; & in eadem infirmitate potest sæpè conferri, etiam non ieiunis, si per aliquot dies pericula mortis euadant, sacro tunc peracto post præcedens viaticum Ita habet Tabiena verb. communicare, §. 48. & Armill. v. communio. §. 18.

Aptus. Debet is, qui suscepturus est sacrosanctam Eucharistiã, esse aptus subiectum. Fit autem ineptus per excommunicationem, vel interdictum: nam, qui excommunicatus est, quacumque excommunicatione, aut interdictus, peccat accedendo ad Eucharistiã, quia impeditus, & ineptus est propter censuram ecclesiasticam.

De alijs conditionibus suscipientis Eucharistiã.

C A P V T XVI.

Aliæ etiam sunt conditiones suscipientis Eucharistiã, quæ secundo carmine continentur.

Quarum prima est, *contritus*: nullus enim debet accedere ad communicandum cum conscientia peccati mortalis.

qui